

TABELLA MARIANA,

Cui

IN HONOREM & LAUDEM

B. V. M.

ELOGIA, ENCOMIA, HISTORIÆ, & EXEMPLA
inserta, tum S.S. P.P. Sententiis, tum Sacrarum
litterarum textibus firmissimè stabilita.

Et hæc

IN MAJOREM UTILITATEM, PROMTIOREM-
que laborem Parochorum, Vicariorum, & Coopera-
torum, quibus rara sunt magna volumina de almæ
MATRIS materia tractantia, in
synopsin

Collecta & Congesta

A

CHRISTOPHORO MOZIJ A.A.L.L. & PHIL. MA-
gistro, nec non S.S. Theolog. Candidato, Reveren-
dissimi & Celsissimi S. R. J. Principis & Episcopi Passaviensis
Confil. Eccles. & Administratore ad Tabellam
Marianam.

STYRÆ, Typis Josephi Grünenwald. Anno 1718.

serm. signum magnum. Tu Virgo peccatorem quantumlibet
fætidum non horres, non despicias, si ad te suspiraverit, tu-
umque interventum poenitenti corde flagitaverit, Tu illum
à desperationis barathro Tua manu retrahis, horrendo Ju-
dici miserum reconcilias *Idem ibid.* Quid Mariam accedere
humana trepidet fragilitas? nihil austerum in Ea, nihil ter-
ribile, tota suavis est omnibus *Ludovicus Blos, spec. Spir, cap. 12.*
ait: Hæc nullum à se repellit, sed omnibus se præbet exo-
rabilem, peccatores blandè ad se, piè & humiliter confugi-
entes suscipit, & fovet, protegit, & Filio suo maternâ fiduciâ
reconciliat; Cum ergo Maria sit tutissimum præsidium,
currite ad Mariam patres, currite fratres, currite sodales,
currite filij, currite matres, currite virgines, currat omnis
ætas, & omnis conditio hominum. Testatur hoc *S. Agnes*
apud Brig. Revel. Lib. 3. cap. 30. Sic pia & misericors fuit Virgo
Maria, quod maluerit omnes tribulationes sufferre, quàm
si animæ non redimerentur.

Maria mansuefacit fervientem divi- num Rhinocerotem.

TEstantibus litteris sacris *Deut. 33.* comparaverat Moy-
ses Deum juxtâ potentiam & fortitudinem Rhino-
ceroti, decandando: *Quasi primogeniti Tauri pulchritudo*
ejus, cornua Rhinocerotis, in ipsis ventilabit gentes usq; ad extremum terra,
Plinius Lib. 8. cap. de Animalibus ait: Rhinocerotem esse asperri-
mam feram, corpore equo, capite cervo, pedibus elephan-
ti, caudâ apro similem. *Ælianus vero L. 16. de Animal. cap. 20.*, sic
describit: Est jubâ & pilis furvus, pedibus celer, cornu ni-
ger, mansuetus erga alias bestias; de hac fera loquebatur
Deus *Job 39.* Nunquid volet Rhinoceros fervire tibi,
aut morabitur ad præsepe tuum? Loco Jobi nos respon-
demus Rhinocerotem terribilem à beatissima Virgine man-
suefactum, & ad præsepe nostrum commorari, dum Ei ma-
nus & pedes colligabat *Lucâ affirmante c. 2.* *Involvit Eum*
pannis, & reclinavit in præsepio, Exinanivit enim semet Ipsum, ait *Apost*

formam servi accipiens &c. Quare Rich. à S. Laur. l. 6. potentiam Deiparæ in Cœlesti illo Rhinocerote perdomando deprædicat. Hæc est Virgo, quæ sævum Rhinocerotem mansuescere fecit in suo gremio Virginali; qui teste S. Greg. & B. Isidorô unico cornu omnia disrumpit obstantia &c. Sævus hic Divinus Rhinoceros superbum Luciferum cum suis de Cœlo, & Adamum de Paradiso expulit, originalem mundum diluvio delevit, sic in Cœlo, sic in terra Unicornis iste sæviebat, donec gloriosa nostra Virgo ipsum in gremium uteri susceperit, ac Virginea sua carne vestiverit. Imo capi dignatus est à venatoribus, Gentibus scilicet, à Judæis ductusque, spontanea occisione se passus est crucifigi; Abij, aiebat, Ezech. cap. 3. *amarus in indignatione Spiritus mei.* Hæc Rich. de potentia Deiparæ, & mansuetudine Verbi incarnati in genus humanum. Ne desperabundas anxie quis cum Salomone quærat, & dicat: *Mulierem fortem quis inveniet?* seu ut 70. legunt. *Virilemulierem:* vel ut Chaldæus: *Mulierem bonam.* Et mulier optima Deipara sinu suo Unicornem Cœlestem fovet; *Virilis mulier* ineffabili sua fortitudine de supremo mundi triumphavit Monarcha. Requirebant Patres mulierem fortem Mariam, sciebant enim de manu Fæminæ nostram pendere salutem ac innocentiae restitutionem. ita S. Bern. *serm. 2. super Missus est.*

Maria Mare amarum est.

THaletis sententia erat, orbem terrarum aquâ sustineri, ac vehi more navigij, atque mobilitate ejus fluctuare. Hanc sententiam ineptâ quamvis vocet Seneca, rei tamē suæ applicabat ob fontium fluminumque perpetuò manantium causam; Quidquid hac in re sit, potest tamen quam pulcherrimè beatissimæ Virgini, propter Etymologiam, quâ mare significat, aptari; Et quis de hoc mari negat, quod eo terrarum orbis non sustentetur, & adinstar navigij vehatur? cum tantus tremor, & concussio ejus ab exortis in mari tempestatibus facta sit, ut majori certò nunquam hoc mare